



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

Tit. 6. Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere possint.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

procuras abortum, Donec inveniam aliam te disio-  
nim, contractus matrimonialis caret effectu, d. e.  
ult. nam prima conditio repugnat primo bono  
matrimonii: Secunda secundo, & tertia tertio.  
Repugnat etiam aliquem velle contrahere ma-  
trimonium, & apponere conditionem matri-  
monio contrariam. Si verò talis conditio sit de  
præterito vel præfenti, non vitiat matrimoni-  
um, veluti, *Contra hoc tecum sis sis adultera. Si im-  
pedi vissi partum*, modo non obliget ad aliquid  
futurum quòd sit contra matrimonii bona.

Quo pacto autem differant sponsalia purè  
contracta à contractis sub conditione diximus  
hoc eodem lib. Tit. 1 §. 2.

## TITULUS VI.

Qui Clerici vel voventes ma-  
trimonium contrahere  
possint,

1. Ordo sacer impedit & dirimit matrimonium.
2. 3. Similiter votum solenne; Simplex verò  
non dirimit.

Vidimus, qui, quâ ætate, quo pacto matri-  
monium contrahere valeant, deque impe-  
dimento duplici matrimonii, cum inpediente,  
ut sunt sponsalia de futuro, tum dirimente, qua-  
le est aliud matrimonium præcedens: Sequitur  
nunc ordine de aliis impedimentis, quæ posita  
sunt vel in defectu materiæ, cujus modus est ordo  
& votum solenne, cognatio, affinitas, aliaque  
similia; vel in defectu formæ, ut sunt error perso-  
næ, & conditionis, violentia sive metus, de quo  
suprà obiter egimus; vel in defectu qualitatium,  
circumstantiarum & conditionum accidentia-  
lium ipsius matrimonii, ut sunt votum simplex,  
interdictum, Ecclesiæ aliaque id genus.

1. Quod igitur ad Ordinem & votum atti-  
net, constitutis quidem in minoribus Ordini-  
bus licere uxorem ducere dictum est antè  
lib. 3. Tit. 3. At verò Ordo sacer non tantum im-

pedit matrimonium contrahendum, sed & di-  
rimit contractum, ut definitur in Conc. Trid.  
Sess. 24. can. 9. constatque ex plurimis aliis Ca-  
nonibus *Dist. 28 & 32*. Dirimit autem non so-  
lum ratione voti annexi, verum etiam ratione  
sui, quatenus ipsi Ordini lex Ecclesiastica, ir-  
ritans matrimonium, est annexa: Nam si quis  
in ordinatione nollet vovete, & accepto Ordi-  
ne contraheret, matrimonium illud esset irri-  
tum, non tamen ratione voti. Dirimit etiam  
ex Jure Ecclesiastico, uti vel ex eo patet, quòd  
summus Pontifex dispensare possit, ut quis  
post Ordinem sacrum susceptum contrahat ma-  
trimonium.

Quòd si quis constante matrimonio, etiam  
nondum consummato, sacris initiatur Ordi-  
nibus, non consentiente uxore, monendus &  
inducendus est ab Episcopo, ut Religionem  
ingrediat. Sin tenuerit, & uxor inlitterit,  
compelli debet per censuram Ecclesiasticam  
ad matrimonii consummationem, reddendum-  
que uxori debitum: illud tamen exigere non  
potest: Et talis ab Ordinum executione suspen-  
sus est atque irregularis, & unica *De voto in Ex-  
travag. Ioan. XXI. 1.* & vivere cælebs à morte u-  
xoris debet. In sacris verò constitutus scienter  
contrahens matrimonium incurrit ipso facto  
excommunicationem, ex *Clement. unica De  
consanguinitate & affinitate*.

2. Votum continentie vel est simplex vel  
solenne, de quo *d. lib. 3. Tit. 34*. Simplex im-  
pedit quidem matrimonium contrahendum  
(quia non potest votum continentie servare,  
ad quod tamen obligatur, qui post illud emis-  
sum contrahit matrimonium, cum debitum  
perenti conjugii reddere tenetur) non tamen  
dirimit contractum, *cap. Meminimus 3. & Con-  
suluit 4. c. Rursus 6. h. 1.* Exceptis tribus votis So-  
cietatis Jesu, per quæ, licet simplicia, post an-  
num probationis emissæ emittentes redduntur  
inhabiles ad contrahendum matrimonium ju-  
xta Bullam Greg. XIII. *incip. Ascendente Domi-  
no, editam anno 1584.*

3. Votum solenne & impedit matrimonium  
contrahendum, & postea contractum dirimit,  
*c. 1 & 2. h. 2. Conc. Trid. Sess. 24. can. 9.* Dirimit  
autem ex solo Jure Ecclesiastico, quia non  
aliunde habet, quòd dirimat, quàm ratione so-  
lemnitatis superadditæ, ut patet ex voto sim-  
plici,